



LVMEN DE LVMINE
 FILIVM DEI
 IESVM CHRISTVM

QVI
 CORPORATVS AC CARNE TECTVS
 CAELESTIS SAPIENTIAE
 PLACITA
 HOMINIBVS EXPOSVIT
 VT DISCVSSIS ERRORVM TENEBRIS
 IN LVCEM VERITATIS
 EMERGERENT
 DIE EIVS NATALI A. CIO 15CCXXXVI
 AVSPICATO REDEVNTE
 HOC CARMINE VENERARI
 ET VT MENTIBVS SVIS ILLABERETVR
 EASDEMQUE FVLGORE SVO
 COLLVSTRARET
 DEMISSISSIME PRECARI
 VOLVERVNT
 SCHOLAE CATHEDRALIS NVMBVRGBENSIS
 ALVMI I. ORDINI
 ADSRIPTI

LITTERIS BOSSOEGELIANIS.



A. Ω.

Estiuis nuper fulserunt ignibus vrbes:
Arseruntque faces per fora, perque
domos.

Quot caelum stellas, tot lucida signa
plateae,

Tot rutilae taedas tunc habuere viae.

Non potuere satis, cum coniuge rege recepto,
Laetitiam ciues significare die.

Debit et laetis nox prodere gaudia flammis,
Gaudia non vno notificanda modo.

Nunc procul este faces! taedae procul este micantes!
Lumen dum caeli mittit ab axe Deus.

Qui virtute sua totum quum conderet orbem;
Nos voluit lumen participare suum.

Sic, quum somniferae voluntur tempora noctis,
Lumine solari pallida luna nitet.

Lumine tunc caelum, tunc lumine splenduit aura,
Nostraque mens claro lumine plena fuit.

Quod mare, quod tellus, liquidus quod continet aër,
Vidimus eximii luminis huius ope.

Vidimus immensum numen, visumque tenaci
Cepimus amplexu, luminis huius ope.

Et licuit nouisse viam, quae ducit ad astra,
Ad superasque domos, luminis huius ope.

Sed simul ac stolido lapsi deliquimus ausu;
Destituit nostrum lumen id omne genus.

Luminis inque locum tenebrae subiere profundae:
Excipit vt nitidam nox inimica diem.

Heu quanta miseri premimur caligine mentis!
Nobis quam grauis est poena luenda reis!

Quam nigra, quam tristi nox haec est obsita peplo,
Umbris quae replet pectora nostra suis!

Numquam tam spissis fuscatur nubibus ora,
Quae sub hyperboreo flebilis axe iacet.

Numquam Cimmerii tanta caligine squallent,
A quibus igniuomos, Phoebæ, reflectis equos.

Atratae sequitur noctem lux pulchra diei:
Et feruant certas lunaque solque vices.
Producant quamuis brumalia tempora noctem;
Discussis tenebris, lux tamen alma redit.
Quum nox arctois sex menses fluxit in oris;
Phoebeum reddit septima luna iubar.
Sed, nostras tenebris mentes quae dira fatigat,
Continua illius tempora noctis eunt.
Nox adeo cuncto viduatur fidere numquam,
Quin iubar occulti luminis vsque micet.
Sed nox, quae nostris nunc mentibus incubat, illa
Nil prorsus lucis, qua recreemur, habet.
Nunc nobis, penitus diuino lumine cassis,
Vix patet, in terra quod iacet ante pedes.
In superas caeli quis tandem scandere sedes,
Arcanumque Dei mente videre potest?
Scilicet est ratio, quae praestat luminis vsum,
Nosque docet, quod sit dulce salutis iter.
Sed prius a fatuis nocturno tempore flammis
Deductus, rectam noueris ire viam:
Quam ratio doceat te recte, qua sit eundum,
Vt teneas celsi regna beata poli.
Testis adest omnis sapientum turba virorum,
Cernere qui caeli non potuere viam.
At Deus humanum, cuius flagrabat amore,
Noluit obscura nocte perire genus.
Venturum voluit sancte promittere lumen,
Ad caelum quod ei duxque comesque foret.
Hinc sancti patres, tenebras noctemque perosi,
Hoc lumen votis expetiere suis.
Non sic arctoo populus vicinior axi,
Solis auct redudis posse videre iubar:
Vt pia gens cupiit lumen descendere caelo,
Quod fulgore suo sidera cuncta premit.
Ah quoties! tendens palmas ad sidera, dixit:
Summe Deus, misso lumine, solue fidem!

Ah quoties! dixit: mea lux, Mea sola voluptas, A
In mundum tandem, saepe petita, veni!
Pondus habent pia vota, Deum flectuntque po-
tentem:
Promissum, dicto tempore, lumen adest.
Filius ipse Dei est, verum de lumine lumen,
Et nostrae factus conditionis homo.
In tenebris licet, et caeco nascatur in antro;
Ipse tamen pulchrum spargit ab ore iubar.
Pastores ouium primi sensere refulgens
Lumen, et ad pueri procubuere pedes.
Allicit eois hoc postea lumen ab oris,
Spectatum vt veniat docta caterua, magos.
Caligent quamuis Simeonis lumina; lumen
Hoc tamen agnoscit firma tenaxque fides.
Nec finit hoc paruo se claudi limite lumen;
Fulgoris fines nescit habere sui.
Ac veluti Titan illustrat lumine mundum,
Et radios toto diuidit orbe suos:
Omnes sic homines hoc lumen lumine replet,
Quos sol exoriens occiduusque videt.
Nos modo ne scelerum claudamus pectora valuis;
Quae prohibent, lumen ne penetrare queat.
Tunc fugient tenebrae, nigra nox tunc cedetabilis,
Claraque reddetur, quae fuit ante, dies.
Hoc nobis gratum rebus solamen in artis,
Tempora quum fuerint nubila, lumen erit.
Ac velut Isacidas, per inhospita tesqua meantes,
In patrium duxit praeuia flamma solum:
Sic nos hoc lumen recto quoque tramite ducet;
Mortis quum dubium suscipiemus iter.
Ducet et in caeli patriam, sedesque beatas:
Lux vbi perpetua est, et sine nocte dies.

*

*

*

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148




TA-506
KOP
B17





LVMEN DE LVMINE
 FILIVM DEI
 IESVM CHRISTVM
 QVI
 CORPORATVS AC CARNE TECTVS
 CAELESTIS SAPIENTIAE

VT DISCO
 I
 DIE E
 HO
 ET VTM
 E
 SCHOLAE
 LI
 OSVIT
 VM TENEBRIS
 ITATIS
 NT
 CIO IOCCXXXVI
 EVNTE
 ENERARI
 LLABERETVR
 DRE SVO
 T
 ECARI
 NVMBVRGENSIS
 DINI



ELIANIS.
 A quibus igitur

Ax

